

cui albet cortex. Ins eius à Gebanitarum rege solo proficiscitur, is edicto mercatu vendit. Pretia quondam fuere in libras denarium mille. Auctum id parte dimidia est, incensus, ut ferūt, syluis ira barbarorū. Id accideritne ob iniquitatem præpotentium, an forte, non satis constat. Austros ibi tam ardentem flare, ut æstatibus sylvas accēdāt, inuenimus apud autores. Coronas ex cinnamomo interrasili auro inclusas, primus omnium in templis Capitolij atque Pacis dicauit Imperator Vespasianus Augustus. Radicem eius magni ponderis vidimus in palatij templo, quod fecerat diuo Augusto coniunx Augusta, aurea patera impositam: ex qua gutta edita annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incēdio consumptū est. Frutex & casia est, iuxtaq; cinnami cāpos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute verius quā cortex, quem contra atq; in cinnamomo leuari & exinaniri pretium est. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Colos triplex. Cum primum emicat, candidus pedali mensura: deinde rubescit addito semipede: ultra nigricās. Hæc pars maxime laudatur, ac deinde proxima: damnatur verò candida. Cōsecant surculos longitudine binum cubitorum. Mox præsumunt recētibus corijs quadrupedum ob id interemptarum, ut ijs putrescentibus vermiculi lignum erodant, & excauent corticem tutum amaritudine. Probatum recens maxime & quæ sit odoris mollissimi, gustūue quā maxime feruens, potius quā lento tepore leniter mordēs, colore purpureo, quæq; plurima minimū ponderis faciat, breui tunicarum fistula & non fragili. Lactam vocāt talem barbaro nomine. Alia est balsamodes ab odore simili appellata, sed amara, ideoque vtilior medicis, sicut nigra vnguentis. Pretia nulli diuersiora: Optima in libras x.l. cæteris x.v.

De ifocinnamo, & cācāmo, ac taro. CAP. XX.

His addidere mangones quam daphnoiden vocant, ifocinnamon cognominatam, pretiumq; eius faciūt x.ccc. Adulteratur styrace, & propter similitudinem corticū lauri tenuissimis surculis. Quin & in nostro orbe feritur: extremoq; in margine imperij, qua Rhenus alluit, viuūt in aluearijs apū sata. Color abest ille torridus sole, & ob id simul idē odor. Ex confinio casie cinnamiq; & cancamum ac tarum inuehitur, sed per Nabateos Troglodytas, qui considerare ex Nabateis.

De serichato & gabalio, & de myrobalano. CAP. XXI.

Eo comportatur & serichatum, & gabalium, quæ intra se cōsumunt Arabes, nostro orbi tantum nominibus cognita, sed cū cinnamomo casiaque nascentia. Peruenit tamen aliquando serichatum, & in vnguenta additur ab aliquibus. Permutatur in libras x.vi. Myrobalanum Troglodytis, & Thebaidi, & Arabie quæ Iudæam ab Aegypto disternuat, commune est, nascens vnguento, ut ipso nomine apparet. Quo item indicatur & glandem esse

arboris, heliotropio, quam dicemus inter herbas, simili folio. Fructus magnitudine auellane nucis. Ex his in Arabia nascens Syriaca appellatur, & est candida. contra in Thebaide nigra. Præfertur illa bonitate olei quod exprimitur: sed copia Thebaica. Inter hæc Troglodytica vilissima est. Sunt qui Aethiopicam ijs præferant, glandem nigram ac pinguem, nucleoque gracili, sed liquore qui exprimitur odoratiore, nascentem in campestribus. Aegyptiam pinguiorem esse, & crassiori cortice rubentem: & quamuis in palustribus nascatur, breuiorem siccioremque. E diuerso Arabicam viridem ac tenuiorem: & quoniam sit montuosa, spissiore. Longe autem optimam Petræam, ex quo diximus oppido, nigro cortice, nucleo candido. Vnguentarij autem tantum cortices premunt: medici nucleos tundunt, affusa eis paulatim calida aqua.

De phœnicobalano, & calamo odorato. CAP. XXII.

Myrobalano in vnguentis similem proximūq; usum habet palma in Aegypto, quæ vocatur adipos, viridis, odore mali cotonei, nullo intus ligno. Colligitur autē pauloante quæ incipiat maturare. Quod relinquitur phœnicobalanus vocatur, et nigrescit, rescentesq; inebriat. Myrobalano pretiū in libras x. bini. Institores & fecem vnguenti hoc nomine appellant. Calamus quoque odoratus in Arabia nascens communis Indis atq; Syriæ est: in qua vincit omnis, à nostro mari centum l. stadijs. Inter Libanum montem, aliumq; ignobilem, non (ut quidā existimauerunt) Antilibanum, in conualle modica iuxta lacum, cuius palustria æstate siccantur, tricenis ab eo stadijs calamus & iuncus odorati gignuntur. Sane enim dicamus & de iunco, quāuis alio herbis dicato volumine, quoniam tamen hic vnguentorum materia tractatur. Nihil ergo à cæteris sui generis differūt aspectu: sed calamus præstantior odore, statim è longinquo inuitat, mollior tactu, meliorq; qui minus fragilis, & qui assulose potius quā raphani modo frāgitur. Inest fistula arancum, quod vocant florem. Præstantior est cui numerosius. Reliqua phatio ut niger sit. Damnatur aliubi. Melior quo breuior & crassior, lentusq; in frangendo. Calamo precium in libras xi. iunco xv. Traduntq; iuncum odoratum & in Campania inueniri. Discessimus à terris oceanum spectantibus ad conuehas in nostra maria.

De ammoniaco, & sphagno. CAP. XXIII.

Ergo Aethiopia subiecta Africa ammoniaci lacrymam stillat in harenis suis: inde & nomine etiā ab Ammonis oraculo, iuxta quod gignitur arbor quam metopion vocant: resine modo aut gummi. Genera eius duo. Thrauston, masculi thuris similitudine, quod maxime probatur. Alterū pingue & resinofum, quod phyrāma appellāt. Adulteratur harenis, velut nascendo apprehensis. Igitur quæ minimis glebis probatur, & quā purissimis. Pretium optimi

o iij in libras